

accepit „vi conventionis inter SSmum Dominum Pium VII. Summum Pontificem et Majestatem suam Maximilianum Josephum Regem Bavariae die 5. Junii 1817 initae redivit tum Sedis episcopalis tum Capituli Ecclesiae cathedralis in bonis fundisque stabilibus constituendi essent. Quia autem horum honorum ac fundorum extraditio ex parte Gubernii civilis nondum facta est, redivit ipsi ex aerario publico, hucusque pecunia, et quidem quolibet mense pro parte rata, solvuntur, ita quidem, ut dignitarii, canonici et vicarii quotannis summam pecuniae illam eamque integram percipiant, quam literis meis designavi . . . Cum itaque hoc modo quilibet dignitarius, canonicus et vicarius redivit suos integros ipse percipiat, nec alia bona capitulum cathedrale possideat, hinc est, quod praeter praebendas nulla adsit massa communis distributionum quotidianarum, ac proinde etiam portio nulla pro cantu quotidiano missae conventuales assignata sit.“

„Interim (exceptis diebus Dominicis, festis de praecepto aliisque aliquibus festis non de praecepto quidem, attamen ritus majoris, e. g. SS. Apostolorum, in quibus missa solemnis cantatur), diebus ferialibus missa conventuales quotidiana sine cantu celebratur, et inter eam horae minores tertia, sexta, et nona a choro recitantur. Dignitarii et canonici juxta ordinem dignitatis et senii hanc missam legunt et pro fundatoribus et benefactoribus applicant, vicarii autem, pariter juxta turnum senii, munere hebdomadarii in choro funguntur. Porro hi eidem vicarii diebus Dominicis et festivis per annum vespas, quae cantantur, celebrant, exceptis vesperis illis, quas vel Episcopus vel dignitarii cantant.“

Juxta doctrinas late expositas in Maceraten. missae conventuales nuper

propositas inter summaria precum in Congregatione mensis martii patet, celebrationem et applicationem missae conventuales pro benefactoribus in genere incumbere nedum canonicis, sed beneficiariis quoque, mansionariis aliisque, quocumque appellentur nomine, chori servitio addictis. Ceterum pluries S. Congregatio decrevit, ut hujusmodi celebrationi provideretur per eleemosynam ex massa distributionum desumendam, ut constat ab exemplis relativis in Monasterien. Visitationis SS. LL. 6. decembris 1843.

„Cum vero in praesenti casu constet non adesse hujusmodi massam distributionum, unde eleemosyna haec desumatur, videndum an nihilominus praedictum onus imponendum sit etiam vicariis, ut illum unacum canonicis per turnum subeant, sola praebenda qua fruuntur contenti, ut quoad mansionarios resolutum fuit in cit. Maceraten., seu potius expediat decernere ut communis massa per contributum conficiatur, ex qua eleemosyna tam pro dignitariis et canonicis quam pro vicariis missam conventuale celebrantibus desumi in posterum debeat, ceu in simillimo casu decisum fuit in cit. Monasterien., in qua proposito 1. dubio:

„An vicarii ecclesiae cathedralis Monasterien. missam conventualem pro benefactoribus gratis applicare teneantur seu potius illis pro hac applicatione stipendium debeatur a capitulo in casu? Responsum fuit: Negative ad I. partem; affirmative ad II., ex massa conficienda prudenti judicio Episcopi per contributum ex redivitibus omnium praebendarum.“

„Ceterum illud prae primis interest, ut quotidiana missae conventuales applicatio, sive a solis canonicis sive a mansionariis in canonicorum substitutionem fiat, in ecclesiis cathedralibus et collegiatis non desideretur.

In casu autem quaedam veluti choralium munerum distributio canonicos inter et vicarios consuetudine invecata esse videtur, ut illi nimirum missae conventuales applicationem curarent, isti hebdomadarii officio fungerentur. Hinc ubi ab hujusmodi consuetudine recedendum videatur, et mansionarii sive gratis sive cum canonicis ad sustinendum obligentur, decernendum, an munus etiam hebdomadarii omnibus, dignitariis scilicet et canonicis non exceptis, commune reddendum sit. Quare etc.

„Sacra etc.: Vicarios teneri ad applicationem missae conventuales per turnum una cum Canonicis, soluto tamen iisdem stipendio ex massa conficienda prudenti judicio episcopi per contributum ex redivitibus omnium praebendarum; munus autem hebdomadarii explendum esse a dignitatibus et Canonicis diebus festis tantum.

Die 2. Junii 1860.“

(Anal. J. P. 1861. p. 468.)

Injustum est onus celebrandi missam conventualem cum eleemosyna ex massa capitulari detrahenda, quam a se celebranda non esse propugnat Archidiaconus, quia, cum hoc onus inhaereat Canonicis Divina Officia celebrantibus, pro quibus canonicales fructus percipiunt, illud ab ipsis Canonicis per turnum implendum est nullo recepto stipendio juxta Encyclicam s. m. Benedicti XIV., quae incipit *Cum semper*, Pignatell. tom. I. Consult. 321. num. 1. et seq., Ursay. tom. 2. part. 1. disput. 32. num. 7. et seq.

(Ex resolut. S. C. C. diei 15. Apr. 1780. Fanen.)

Ad dub. 1: An Dignitatibus et Canonicis et Vicario perpetuo Cath. Burgi debita sit eleemosyna unius Julii pro qualibet missa conv. ultra emolumenta praebendarum et Vicariae? Et qua-

tenus affirmative, 2. An dicta eleemosyna pro missa conv. Dignitatibus, Canonicis et Vicario perpetuo solvenda sit ex redivitibus capituli? 3. An pro missa secunda conv. celebranda in diebus quatuor tempor. et vigiliarum debeant distributiones tam canonicis quam Vicario perpetuo et aliis residentibus? 4. An dictum augmentum sumi debeat ex redivitibus Capituli seu potius sit aliunde providendum per Episcopum?

S. C. C. resp. ad 1: Per modum distributionis;

ad 2: Affirmative;

ad 3: Affirmative;

ad 4: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Die 2. et 16. Mai 1716.

Ad dub. 1: An celebrantibus et applicantibus missas conv. solvenda sit eleemosyna a Capitulo?

2. An pro eleemosyna dictarum missarum conv. teneantur contribuere omnes constituentes corpus capituli, sive sint Sacerdotes sive Diaconi sive Subdiaconi et sive participant sive non de massa distributionum?

S. C. C. resp. ad 1: Affirmative;

ad 2: Affirmative sed ex massa distributionum.

Die 18. Mart. 1719 ad 2 et 3. Ferrarien.

S. Severini.

Septempedana seu Sancti Severini ecclesia nunc duodeviginti praebendas numerat. Non autem una earum aetas, non una conditio. Antiquitus septem habebat, nimirum duas dignitates et quinque canonicatus. Horum usque ad haec tempora vetus commune aerarium, at Sixtus V., qui cathedralem fecit, quinque praebendas addidit, quae alia pecunia gaudent, at iisdem honoribus potiuntur, eadem onera ferunt. Octoginta post et ultra annos duae adjectae sunt ex legato Valerii

Pelliri, quas capitulum admisit, data lege, quod allecti tenerentur, cantare la messa nella sua eddomada, assistere alle procesioni, fare l'eddomade come gli altri canonici, quodque nullum jus haberent a prendere frutti, ne di praebende, ne di distribuzione del capitolo vecchio, ne del capitolo nuovo. Secutis temporibus aliae quatuor admittissae sunt, sed conditionibus iisdem, et peciatim, quae ex legato Amantiae Marguerui anno 1700., et quae ex legato Caroli Casciani anno 1713 erectae sunt.

Usus tulerat, ut quilibet canonicus, qui sua hebdomada *missam conventualem* celebrare debeat, eam quasi pro dignitate die festo tantum caneret, reliquas suae hebdomadae quatuor capellani, qui in ecclesia sunt, mandaret, soluta tamen a quolibet proprio aere eleemosyna. Hinc fortasse factum, ut aliqui ex canonicis postea existimarent onus hoc capellanorum proprium esse, atque eleemosynam denegarent; hinc, ut non data eleemosyna, celebratio negligenteretur. Huic malo providit Episcopus suo decreto anno 1761., quo neglectas celebrandas jussit, et in posterum a singulis omnino celebrandas edixit.

Obtemperarunt ceteri praeter duos, et quidem novissimae erectionis Margarucci et Casciani, scilicet Severinum Margarucci et Ludovicum Fidi, qui a decreto Episcopi reclamarunt. De eorum quaerelis causa agitur, contradicente tum capitulo tum capellanis.

Ajunt duo, qui repugnant, capellanos servire ecclesiae nullo eisdem circumscripto onere, ideoque hoc celebrandi *Missam conventualem*, ad quam omnes tenentur, qui ecclesiae inseruiunt, eis jure ipso injunctum videri, contrarium tantummodo habere locum ubi certis limitibus definitum servitium sit, ultra quos extendi nequeat; atque ita literam encyclicam Benedicti XIV.

intelligendam. Praeter haec tenuitatem suorum reddituum ostendant, quae ex ipsa lege Benedictina ab hoc onere liberantur.

Ubi vero eleemosyna capellanis danda esset, illam propugnat eis danda ab antiquiori capitulo septenario, cui ex liberalitate Innocentii VIII. conspicui redditus accesserunt anno 1489 unione commendae duorum monasteriorum Sancti Benedicti cum onere eos capellanos retinendi; capitulum ipsum eligere, illos suo arbitrio remove: convenire hoc literae encyclicae Benedictinae, qua cavetur *Beneficiatos seu Mansionarios ad Missam conventualem teneri eleemosyna desumpta ex massa distributionum*. Contra haec capellani tumentur, sibi etiam oblata eleemosyna liberum esse hoc officium praestare canonicis: se nullum titulum perpetuum ecclesiae habere, arbitrio veteris capituli admitti, arbitrio retineri; propterea nullo jure cautum, ut hoc onus aliis injunctum impleant: sufficere novis canonicis, et praesertim hisce duobus novissimis, si videant ex majori numero ecclesiasticorum melius decori et ecclesiae consultum sine ulla eorum impensa: injuriam esse, ut alios non legitimo onere gravent, quo suo necessario se ipsos liberent.

His, quae capellani viriliter asserunt, addit vetus capitulum, omnes novos et praesertim sex adlectos post erectionem cathedralis expresse admissos cum onere adimplendi omnia onera; ideoque ad hoc a jure expresse impositum onus teneri, redditus ex beneficentia Innocentii VIII. ipsi capitulo speciatim addictos suos esse integre; ex his unicum consuetam mercedem dandam capellanis: capellanos ipsos suo arbitratu accipi, pro libitu dimitti, eos veluti ecclesiasticos quosdam habendos, quos pro decentiori cultu ecclesiae servando recipi constitutum usque ab initio fuerit: praeterea in-

civile propemodum esse, ut, nullo quaerelas excitante contra id quod antea ab omnibus factum est, quod modo omnes faciant, hi solum et novissimi exsurgant.

Episcopus multa dicit, quo decreti sui justitiam ostendat, multa de recepto usu ante ipsum decretum, quod tantummodo abusus abstulit; tenuitatem reddituum excludit, ut patet in ejus relatione, quae circumferetur.

Ad rem facere videtur Lucana Missae conventualis 4. Maji 1750.

Quaeritur:

I. An capellani seu Mansionarii ecclesiae cathedralis Santi Severini, celebrantibus et applicantibus Missam conventualem in diebus ferialibus debita sit particularis eleemosyna?

Et quatenus affirmative;

II. An et de quibus redditibus ea sit praestanda in casu?

S. C. resp.

Ad I: Affirmative et amplius.

Ad II: Affirmative a singulis canonicis ex redditibus parochialibus et amplius.

Die 18. Febr. et 24. Mart. 1764.

Caesenaten.

Eminentissimus Episcopus in Visitatione cathedralis exquisivit, num missa conventualis applicaretur pro collegio. Varie responsum fuit. Pars canonicorum responderunt applicari, complures: sub conditione, reliqui: non. Quatuor vero mansionarii, qui per turnum celebrant diebus ferialibus, pariter non applicare. Stantes pro applicationis libertate sese fundant tum in opinione antecessorum, qui paucis exceptis ita existimabant, tum quia in constitutionibus antiquis canonico celebranti dabatur ex massa capitulari eleemosyna, licet sub titulo distributionis, ac demum ultra DD. doctrina quia praebendae canonicatum sunt

adeo tennes ut varii decem, triginta vel quadraginta scuta non excedant; immo aliqui prorsus carent. Mansionarii vero libertatem praetendunt et propter tenuitatem, et quia ita in actis visitationum enunciatur, immo unus ex mansionariis de jure patronatus habet onus missae quotidianae pro fundatore, licet in eadem cavetur de celebranda conventuali in suo turno.

In hac sententiarum discrepantia eminentissimus episcopus, capitulum et mansionarii scriptis amicebiter precibus Sac. Congregationem consulent super dubiis infrascriptis:

I. An ecclesiae cathedrali adsit obligatio quotidianae applicationis missae conventualis pro collegio?

II. An canonici, qui solis diebus festis de praeepto, tenentur ad celebrandum conventualem per turnum, teneantur applicare pro collegio?

III. An ecclesia teneatur ex massa capitulari (prout haecenus) stipendium eisdem canonicis, hujusmodi missam conventualem celebrantibus, erogare?

IV. An stante paupertate ecclesiae, quae in praesenti non est solvenda, teneantur ipsi canonici subire onus, non obstante praebendarum tenuitate?

V. An dicti mansionarii in eorum turnis teneantur pariter applicare pro collegio? et quatenus negative;

VI. An ad habendam applicationem pro collegio massa capitularis teneatur erogare stipendium celebrantibus?

VII. An in casu impotentis massae capitularis, teneantur canonici onus subire obstante praebendarum tenuitate?

Die 24. Martii 1661 Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, concilii tridentini interpretum, ad suprascripta dubia respondit ut infra scilicet ad primum: affirmative pro benefactoribus, ad secundum: ut ad proximum. Ad tertium et quartum: affirmative. Ad quintum: teneri. Quod

vero ad sextum et septimum: non esse opus responsione.

(Corresp. de Rome 4. Juillet 1850 n. 33. p. 10. Ed. II.)

*Hydruntina 1. Martii 1692.*

Dubiis: an capitulum et canonici diebus quibus alternis vicibus ex ordinatione ecclesiae tenentur celebrare missam conventualem, teneantur etiam applicare pro populo et benefactoribus, nec eleemosynam pro illa recipere? An idem statuendum stante consuetudine in contrarium non applicandi et eleemosynam recipiendi?

S. C. resp. ad primum: affirmative, et non posse recipere eleemosynam. Ad secundum: ut ad primum, non obstante asserta consuetudine?

(Ibid.)

Tenantur canonici quotidie missam conventualem applicare pro benefactoribus, quia talis missa est pars officii divini et non possunt stipendium aliquod aliunde pro tali sacrificio percipere, consuetudine quacumque in contrarium minime refragante.

(Merat. Rubr. miss. part. 3. lit. 12. et Corresp. de Rome ibid. p. 11.)

Ad dub.: An capellani, beneficiati seu mansionarii ecclesiae cathedralis lucanae teneantur applicare pro benefactoribus in genere missas conventuales, quas celebrant per turnum in casu etc.? et quatenus affirmative,

2. An idem beneficiati seu mansionarii teneantur etiam pro non applicatis in casu etc.?

3. An ipsis beneficiatis seu mansionariis, ultra distributiones assignatas omnibus de choro adstantibus eisdem missis conventualibus debeatur eleemosyna pro dictarum missarum conventualium applicatione? et quatenus affirmative,

4. An haec eleemosyna sit detrahenda ex massa communi et propria dictorum beneficiatorum seu mansio-

nariorum, seu potius ex distincta massa canonicorum in casu etc.?

S. C. respondit ad primum: Affirmative et amplius. Ad secundum: ad D. secretarium cum Sanctissimo. Ad tertium: affirmative et amplius. Ad quartum: affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 28. Febr. 1750.

(Corresp. de Rome ibid. p. 35. p. 26.)

#### Abellinen.

Capitulum cathedralis Ecclesiae Abellinae octo Canonicorum et trium Dignitatum numero componebatur. Anno 1649 placuit Episcopo, Capitulo et Rectoribus trium capelliarum ss. Annunciationis, ut hae capellaniae in canonicatus erigerentur. Id factum est ea lege a Capitulo indicta novis Canonicis pactoque convento, ne participes essent fructuum atque obventionum sive ordinariorum sive extraordinariorum utque pervices suas servitium praestarent cum aliis antiquae primaeque institutionis Canonicis absque ullo compendio sive eleemosyna aut sacri conventualis aut aliorum Ecclesiae Officiorum: contra vero novos Canonicos participes fecerunt Juris sedendi, honoris cappae magnae et honorum similium. Post has capellantias in Canonicatus erectas nova facta fuit accessio canonicatum, unius ex duabus capellaniis Rectorum Sodalitii ss. Sacramenti et alterius canonicatus fundationem et dotem contulit Franciscus Imbibo, quae novae accessiones factae fuerunt iisdem Legibus, conditionibus et oneribus, quae data atque imposita fuerant primis novis Canonicis. Demum alterum incrementum factum fuit anno 1701 a sodalitia montis mortuorum erectione novem capelliarum in canonicatus: his vero superadditis Canonicis montis mortuorum placuit veteribus Canonicis praeter illud agendi

per turnum sacrum conventuale aliud onus adjicere implendi ministerium Diaconi et Subdiaconi in sacris solemnibus, quod ea mente facere expresserunt veteres, ut ipsi, qui de Corpore seu de Massa appellantur, levarentur inde onere sacrorum conventualium et diaconalis ministerii, totum illud rejicientes in alios, quos nuncupabant adjunctos seu della giunta contra morem et consuetudinem retroacti temporis, quo soli primum, inde cum primis adjunctis pertinebantur Sacrorum atque Ecclesiae servitium, retinentes tamen semper stipendium et eleemosynam, quae praestatur ex massa distributionum.

Ab anno 1701 tam primi quam secundi adjuncti impleverunt onus indictum conventumque sacri conventualis agendi, cum vero anno 1744 edita fuisset constitutio: *Cum semper*, optimi sacratissimique Pontificis Benedicti XIV., quae data fuit Vol. 13. Theol. Res. S. Congr. pag. 122. et quam servari jussit Episcopus Abellinensis, adjuncti Constitutionis illius aperta lege et veteres de Corpore, ad sacrum conventuale agendum et sibi ipsis pendendam esse eleemosynam rati preces hac de re obtulerunt amplissimis Patribus, auditoque, ut fieri solet, Episcopo, qui secundum adjunctos respondit, causa definienda proponitur. Veteres urgent pactum conventum, novi urgent pacti iniquitatem: Judicium itaque erit Eminentissimorum Patrum in hac controversia, ut expediant caput unicum, quod subijcimus.

An soli Canonici supranumerarii sive de Adjuncta teneantur subire onus Hebdomadae in Ecclesia cathedrali ac celebrationis Missae conventualis illiusque applicationis pro Benefactoribus absque eo, quod petere valeant eleemosynam a Canonicis antiquioribus in casu?

S. C. resp.: Negative. Die 6. et 27. Augusti 1746.

Sub die vero 17. Jan. 1747 S. C. resp.: Prae recessu a decisio affirmative soluta tamen a Canonicis antiquioribus eleemosyna missae conv. pro rata servitii debiti ab iisdem Canonicis antiquioribus, iterum proposito dubio S. C. resp.: *In primo loco decisio esse standum.*

Die 18. Martii 1747.

*Ad dub. I.:* An onus eleemosynae Missae conventualis sit infixum massae communi distributionum? Et quatenus affirmative,

*II.:* An idem onus eleemosynae sit deducendum ab eadem massa communi distributionum, antequam fiat earum repartitio, etiam quoad Canonicos jubilatos, in casu?

S. C. resp. ad I: Providebitur in tertio.

Ad II: Negative.

Die 9. Februarii 1760.

#### Forosempronien.

Archidiaconus cathedralis supplicat declarari: 1. An illis diebus, quibus juxta tabellam Missae conventualis non habet onus certae et particularis applicationis, Canonicus vel Capitularis, qui jure turni illam celebrat, possit pro illius celebratione vel applicatione eleemosynam recipere vel omisso stipendio satisfacere aliis oneribus sibi inhaerentibus ratione alicujus beneficii vel capellaniae? 2. An praefatis diebus, quibus juxta tabellam Missae conventualis non habet onus certae et particularis applicationis et ulterius occurrit casus celebrandi aliam Missam cantatam ratione officii anniversarii vel ex alia causa hujusmodi, possit dumtaxat cantari Missa haec extraordinaria et oneri Missae conventualis satisfieri, mediante celebratione Missae

planae? et quatenus negative; 3. An in casibus et ad effectum de quibus suffragetur consuetudo immemorabilis? 4. An suffragetur tenuitas praebendarum et distributionum capitularium? S. C. respondit in omnibus negative, idemque declaravit atque confirmavit in Lavellen. 22. Martii 1680, non obstante quacumque consuetudine in contrarium et non attenta tenuitate redditum (Mérati Rubr. missal. part. 3. tit. 12.)

Corresp. de Rome II. Ed. 1848—49 pag. 10. 4. Julii 1850.

Ad dub.: 1. An Dignitates, Canonici, Mansionarii et Capellani Capituli, qui omnes ex usu et consuetudine tenentur celebrare in cathedrali Ecclesia Missas conventuales, teneantur ad easdem applicandas pro Benefactoribus? et quatenus affirmative; 2. An celebrantibus vel applicantibus Missas conventuales solvenda sit eleemosyna a Capitulo? et quatenus affirmative; 3. An pro eleemosyna dictarum Missarum conventualium teneantur contribuere omnes constituentes corpus Capituli, sive sint Sacerdotes sive Diaconi sive Subdiaconi et sive participant sive non participant de massa distributionum?

S. C. respondit 18. Martii 1619 ad I. affirmative; ad II. affirmative; ad III. affirmative sed ex massa distributionum.

Corresp. de Rome II. Ed. 4. Julii 1850 num. 33. pag. 11.

44) Pro missis fundatis totum stipend. a fundatore designatum solvendum est.

Vd.: Stipend. (pro missis manual., pro quibus legendis Sacerdos majus solito etc.; conventio.)

Joseph. Ciambella de Terra Vineanelli civitatis Castellanae in ejus postremis, sub quibus anno 1733 decessit, tabulis disponere volens de scutis tercentum, quae ipse reserva-

verat in actu universalis donationis per eum initae favore filii Gregorii filiaeque Hieronymae; reliquit uxori suae scuta centum: In reliquis vero scutis biscentum haereditatem instituit: *Un opera, o Legato pio, cioè, che seguita la mia morte, li miei Donatarii debbino assegnare per quest' opera, o Legato li sudetti scudi duecento in tanti Censi attivi, e dal fruttatlo di essi debbano celebrarsi tanto Messe basse alla ragione di giuli due per Messa in perpetuo per suffragio dell' Anima mia, e remissione de miei peccati nell' Altare della Madonna SSma della Presentazione dell' insigne Collegiata di questa Terra di Vignanello, e per l'effetto sudetto subito seguita la mia morte debba la sudetta Girolama mia figlia nominare un Capellano a sua requisizione, ed amobile. Jus autem nominandi Capellanum reliquit eidem Hieronymae ejusque Descendentibus in infinitum subditque: *volendo et ordinando, che questo sia un mero semplice legato laicale, ne mai in alcun tempo possa mettersi mano ne Monsignor Vescoro, ne la Rev. Fabrica, ne altra Persona privilegiatissima, e non altrimenti etc**

Sequuto Testatoris obitu fuerunt pro hujus pii Operis assignati tot Census in sorte scutorum biscentum, annique redditus scutorum quatuordecim. Neglexit Hieronyma Testatoris filia neglexitque pariter Joannes Florentini Hieronymae filius Capellanum a Testatore volitum nominare pro praescriptarum Missarum adimplemento sed ipsi solummodo ab obitu ipsius Testatoris integros Legati fructus percipientes celebrare fecerunt anno quolibet a pluribus diversisque Praesbyteris Missas tantum sexaginta soluta eleemosyna unius tantum julii pro qualibet, julio altero penes se retento.

Hos inter Praesbyteros, qui Missas

celebrarunt, recepta eleemosyna julii minus, fuit Sacerdos Eutitius Ciambella, qui cum detexisset eleemosynae retentionem a Patrono factam, supplicavit hanc S. Congregationem pro definitione, an Orator alique Praesbyteri, qui Missas cum eleemosyna unius tantum julii celebrarunt, integram petere valeant eleemosynam juliorum duorum a Testatore pro qualibet Missa praefinitam. Episcopus narrata confirmans relulit, quod auditus a me Joannes Florentini respondit, quod se licite gessisse censet, eo quia Clericus conjugatus est, prout talis etiam erat Simon ejus Pater et quia supradictum Missarum onus continuo et integraliter adimpletum pro tempore, quo nonnulli ex praefatis Censibus extincti reperiebantur et rata Capitalis otiosa et infructifera, quae responsio minus apta, immo prorsus inefficax mihi videtur post satis claram super hac re definitionem san. mem. Benedicti XIV. in ejus Apostolica Constitutione, quae incipit: *Quanta cura: Quare mihi videtur, quod praefatus Florentini Conscientiae suae providere debeat, restituendo quidquid sibi de fructibus praedictorum Censusum pro Missarum celebratione integraliter detinuit annuatim ad effectum erogandi vel in aliis piis operibus, prout altiori EE. VV. iudicio visum fuerit.*

Et revera Patronum committentem missarum celebrationem non posse sibi retinere partem eleemosynae, quam celebranti dandam praescripserat Testator firmarunt Canonistae et praesertim late Amostaz. de caus. piis lib. 2. cap. 4 n. 27. et seqq. et Pasqualig. de Sacrif. nov. leg. tom. 2. quaest. 968. cum plur. seqq.

Ad rem, de qua agitur, quod sequitur, ob oculos habendum est.

Inter Decreta generalia hujus S.

Congregationis edita anno 1625 et approbata a san. mem. Urbano VIII. in Constitut. 43. Bullar. tom. 4. a san. mem. Innocentio XII. ad X. dubium his verbis conceptum: *An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missae, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt, an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?* responsum fuit: *Debere absolute integram eleemosynam tradere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.*

Item cum in Romana eleemosynae diei 23. Augusti 1664 quaesitum fuisset: *An id locum haberet etiam, quando Sacerdos, cui Missae celebratio cum minori eleemosyna commissa est, non ignorat, majorem primo Sacerdoti tributam fuisse et nihilominus ipse contentus est minori, S. Congregatio censuit, in hoc etiam casu locum habere praemissum Decretum anni 1625 ut in lib. 24. decr. pag. 246.*

Rursus in Causa romana Retentionis eleemosynae Missarum 21. Februarii 1688 cum praepositum fuisset dubium: *An Sacerdos sic electus a Patre Rectore possit dari alteri Sacerdoti ad hoc ut celebret dictas Missas in dicta Ecclesia s. Gregorii juxta eleemosynam currentem, retento sibi eo, quod superest: S. Congregatio respondit: Negative, ut in lib. 38. Decret. pag. 90.*

Ac demum in Romana eleemosynae missarum cum praepositum dubium: *An eleemosyna pro Missis celebrandis juxta dispositionem Gasparis Probat sit solvenda ad rationem manualis, itaut liceat Archiconfraternitati unum Julium pro singulis Missis sibi retinere?* S. Congregatio die 16. Junii 1713 rescripsit: *Ne-*

gative, solutis tamen utensilibus et amplius.

Videndum igitur erit, quatenus Patronus hujus pii Operis restituere deberet, quod sibi relinuit ex elemosyna celebratarum Missarum, an sit adjudicandum Praesbyteris cum minori stipendio celebrantibus seu potius erogandum in aliarum Missarum celebrationem vel in alia pia opera, ut sentit Episcopus in sua relatione.

Atque hinc ponderandum est quod, quamvis licitum Sacerdoti sit pecuniam recipere pro Missa, illam tamen recipit non quasi pretium Missae sed in causam suae sustentationis juxta doctrinam *divi Thomae Secunda secundae quaest. 100. art. 2. ad secundum ibi: Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium Consecrationis Eucharistiae aut Missae decantandae, hoc enim esset simoniacum sed quasi stipendium suae sustentationis; et rursus in quartum sentent. dist. 25. quaest. 3. art. 2., quaestiuncula 1. ad quartum, et ad ipsum prosequuntur Theologi recentiores, Card. de Lugo de Sacram. Eucharistiae disc. 22. sect. 1. num. 13., Pasqualig. de Sac. nov. leg. quaest. 903. n. 5. et Maurus in Theolog. t. 3. lib. 12. quaest. 218. n. 4.*

Quamobrem si res est de stipendio jam recepto, si eo contentus fuit Sacerdos et si illud jam cessit in ejusdem Sacerdotis sustentationem, quid definiendum sit in hoc casu pertinet ad EE. VV.

A Joanne Florentini Patrono, qui in contradictorem Oratoris se praebuit, nihil habuimus. Quaeritur:

*An et quomodo Oratoris precibus sit annuendum in casu?*

S. C. resp.: Affirmative quoad Oratorem et ad mentem et mens est, quod Episcopus inquirat a Florentinis an haeredes celebrare fecerint annuatim Missas 70 et cogat haeredes eos-

dem nominare Capellanum ad formam Testamenti Fundatoris.

Die 29. Aprilis et 3. Junii 1780.

Vd.: Stipend. (num acceptatio licita sit a Sacerd. etc. a quibus etc., decret. Urb. VIII. n. 6—8. 10.; Declarat. n. 6.) Stipend. pro miss. perpetuis.

Romana.

Caspar Probat haerem esse scripsit Archiconfraternitatem s. Stigmatum s. Francisci. Duo etiam praelegata ei reliquit, alterum nempe scutorum 150 cum annuo onere duodecim Missarum in perpetuum et unius itidem perpetui Anniversarii, alterum unius loci montis, cujus tamen usufructu prius poliri voluit Mariam Lauram Montalem, donec vixerit. Haereditatem vero totam subiecit oneri his verbis exposito: Doppo a sodisfazione de medesimi legati debbano i detti Signori Guardiani vendere, ed alienare tutti li beni ed effetti della mia eredita, ed il ritratto di essi erogare nella celebrazione di tante Messe per suffragio dell' Anima mia, e secondo la mia intenzione, valutando la limosina di esse Messe a ragione di due giulii per ciascuna di esse. Archiconfraternitas die 15. Mai 1720 per modum provisionis deputavit quatuor Sacerdotes, ut Missae Sacrificium quotidie facerent in suffragium Testatoris eisque elemosynam persolvit in uno dumtaxat Julio: simul tamen postulavit declarari a S. Congregatione num sibi liceret hanc solutionis peragenda normam servare, sibi scilicet adjudicando alium ex duobus julis, quos Testator assignavit in elemosynam pro singulis Missis, an vero debeat integra haec elemosyna Sacerdotibus celebrantibus tradi. Ad rem, de qua agitur, ea, quae sequuntur, ob oculos habenda videntur.

Inter Decreta generalia hujus Sacrae Congregationis edita anno 1625 et

approbata ab Urbano VIII. in ejus Const. 43. Bullar. tom. 4. ac recentius quoque ab Innocentio XII. ad X. dubium conceptum: *An Sacerdotes, quibus aliquando offertur elemosyna major solita pro celebratione Missae, debeant dare eandem integram elemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt, an vero satis sit, ut dent celebrantibus elemosynam consuetam?* — Responsum fuit: *Debere absolute integram elemosynam tribuere Sacerdoti celebranti nec ullam illius partem sibi retinere posse.*

Cumque in Romana elemosynae 23. Augusti 1664 quaesitum fuisset: *An id locum haberet etiam, quando Sacerdos, cui Missae celebratio cum minori elemosyna commissa est, non ignorat majorem primo Sacerdoti tributam fuisse et nihilominus ipse contentus est minori, intelligens alioquin ab eo primo Sacerdote celebrationem sibi non committednam proindeque minorem etiam elemosynam sibi futuram esse?* S. Congregatio censuit: In hoc etiam casu locum habere praemissum decretum anni 1625 ut in lib. 24. dec. pag. 246.

In alia Causa Romana Legati species facti haec erat. Testator reliquit Ecclesiae s. Joannis Nationis Bononiensis scuta quingenta, quae investiri voluit ad favorem dictae Ecclesiae et perpetuo ex fructibus dictorum scutorum quingentorum dicta Ecclesia seu ejus Deputati pro ea teneantur celebrari facere tot Missas defunctorum pro anima dicti Testatoris, quot importabunt fructus, valutando dictas Missas ad rationem Juliorum trium pro qualibet Missa: cum vero quaesitum fuisset: *An Sacerdoti celebranti pro Anima Testatoris debeat elemosyna Juliorum trium in singulis Missis sive potius elemosyna solita unius et reliquum cedat commodo*

*Ecclesiae?* Die 2. Augusti 1659 S. Congregatio respondit: *Debere Sacerdoti celebranti solitam elemosynam tantum, reliquum vero cedere ad commodum Ecclesiae, ut in lib. 21. decr. pag. 933.*

In Theatina cum pio monti mortuorum relicta fuisset Massaria quaedam adjecto onere celebrare faciendi ex ejus fructibus tot Missas ad rationem duorum carolenorum pro unaquaque et expeteretur declaratio, an pius mons teneretur tradere celebranti dictos duos carolinos, an vero unum juxta solitam elemosynam manualet et alium sibi posset retinere, titulo et causa impensarum? Sac. Congregatio die 7. Julii 1668 rescripsit: dandas esse declarationes editas in Romana 3. Augusti 1658., ut in lib. 26. Decret. pag. 29).

In alia autem Causa Romana Retentionis elemosynae Missarum, cum Cardinalis Corradus in Testamento jussisset celebrari singulis annis Missas triginta in Ecclesia S. Gregorio dedicata per Sacerdotem eligendum a Rectore Domus Professae Societatis Jesu, cui solvi mandaverat pro elemosyna scuta decem annua ex redditibus suae haereditatis, propositum fuit hoc dubium:

*An Sacerdos sic electus a Patre Rectore possit dare alteri Sacerdoti ad hoc ut celebret dictas Missas in dicta Ecclesia S. Gregorii, juxta elemosynam currentem, retento sibi eo, quod superest?*

Sacra Congregatio die 21. Februarii 1688 rescripsit: Negative — ut in lib. 38. Decret. pag. 90.

Recentius vero in una Sancti Severi cum Catharina de Zuccaris imposuisset haeredi onus tot Missarum, quot ferre possent fructus percipiendi ex bonis haereditariis, praescripta elemosyna ad rationem trium caroleno-